

ISAGOGE
AD D. THOMÆ
THEOLOGIAM.

EXPLICATIO CONNEXIONIS, ET ORDINIS TOTIUS SUMMÆ THEOLOGICÆ
D. THOMÆ PER OMNES MATERIAS.

Circa illa verba quæstionis primæ, et ut intentio nostra sub aliquibus certis
limitibus comprehendatur, etc.

Inter omnes Ecclesiæ Dei doctores in ordinanda sacræ sapientiæ doctrina Div. Thomam excelluisse, atque ob hoc jure sibi Sapientis nomen vindicasse, cum juxta philosophum 1 metaph. proprium sapientis munus sit ordinare, nemo qui hanc summam theologiam attentius legerit, dubitare potest. Est autem similis ordinatio scientiarum, dispositioni architecti fundamenta ædificii sternentis, juxta quod Apostolus de se dicit 1. Corinth. III : *Ut sapiens architectus : fundamentum posui.* Et quidem : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, Christus Jesus,* ut idem inquit Apostolus, super quod fundamentum totius theologici ædificii altitudo consurgit, neque enim aliud divina ista sapientia pro objecto, et fundamento respicit, quam divinæ charitatis immensum lumen, a cujus splendoris illustratione refulgens, quasi civitas gloriosa Hierusalem, etsi a cælo per fidem, obscuritatemque descendat, adhuc tamen intellectum, mentemque nostram sic elevat, et illuminat : *Ut simile sit lumen ejus lapidi pretioso tamquam lapidi jaspidis sicut crystallum,* ut dicitur Apoc. XXI. Qua propter indiget lumen hoc artificiose ordinari, et a sapienti ar-

chitecto disponi in ædificium fidei, si quidem lumen ejus, dum adhuc peregrinatur, descenditque de cælo, simile dicitur lapidi, id est, non aliqua radorum emissionem, quasi sol emicans, sed quasi construendo ædificio aptum, artificiosa dispositione politum lucem suam, veritatemque manifestans. Propter quod ad Ecclesiam Isaias propheta in prædicatione divina loquitur, et dicit cap. LIV : *Ecce ergo sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles ; universos filios tuos doctos a Domino, et multitudinem pacis filiis tuis.* Hac enim circumlocutione, et prophetica lapidum allegoria, divinæ hujus sapientiæ sermonem indicari a propheta non obscure Hieronymus expressit super eundem locum lib. xv, in Isaiam, ubi exponens, illud verbum : *Fundabo te in sapphiris,* quod juxta septuaginta versionem legit, præparo tibi carbunculum. « Carbunculus, inquit, qui paratur sive per ordinem sternitur videtur mihi ignitus sermo doctrinæ, qui fugato errore tenebrarum, illuminat corda credentium. » Et hoc ipsum satis vivide si-

gnificant verba prophetæ, dum lapides istos desiderabiles explicans : « Universos, inquit, filios tuos doctos a Domino. » De doctrina ergo in hac metaphora lapidum tanto ordine dispositorum loquitur, qui pro effectu, et fine ponit, universos filios, doctos evasuros.

Igitur grande hoc ministerium sternendi per ordinem lapides istos cælestis sapientiæ, etsi per multos sanctorum patrum, ac doctorum Ecclesiæ labores procuratum sit, felix tamen illis consummatio Divo Thomæ Aquinati inter omnes a divina providentia reservata est : ipse enim in hac theologiæ summa ita universam theologiam non sine infusione cælesti in ordinem redegit, ita admirabili dispositione stravit lapides istos desiderabiles, ut nihil sapientius, nihil congruentius, nihil ordinatius potuerit excogitari : *Sed juxta exemplar sibi monstratum in monte, ut alter Moyses, Exod. xxv, sic inspexit, et fecit.* Vel potius ut alter David, qui totius templi ædificandi mensuram a cælestibus ideis exculpit : *Omnia inquit venerunt scripta manu Domini ad me ut intelligerem universa opera exemplaris,* primo Paralip. xxviii. Quare principalior, et efficacior via ad indagandam, percipiendamque Angelici doctoris mentem in tam admirabili theologiæ ædificio illa est, si prius attente disquiramus ordinem quam in tractanda, et disponenda ista summa observavit ab una quæstione ad aliam, et ab una materia ad aliam quasi aureis quibusdam nexibus discurrens. Nec enim sapientis, aut doctoris nomen jure meretur, qui scientiæ, quam addiscit ordinem ignorat, sed ut pulchre admonet Ambrosius, in Psalm. cxviii, octonario quarto ad illum versiculum : *Viam justificationum tuarum instrue me : « Scire quid facias, et ordinem nescire faciendi, non est per-*

fectæ cognitionis : offendunt plerumque præpostera. Ita ordinis ignorantia conturbat negotiorum naturam, formamque meritorum. Ille autem, qui didicerit primo mysteria Dei, deinde ordinem mysteriorum, exercetur in mirabilibus Dei. » Quare tentandum est cum confidentia divini auxilii universum istum ordinem totius summæ theologicæ, connexionemque tractationum, et materiarum, quam singulariter D. Thomas invenit, et feliciter perfecit, prius in communi declarare ; singularum vero quæstionum doctrinam et dispositionem summam perstringemus cum ad illas suis locis exponendas, disputandasque accesserimus.

PRIMA PARTITIO THEOLOGICÆ.

Ordinaturus ergo Divus Thomas scientificum theologiæ processum, illud perpetuo observavit ut a communioribus ad minus communia, a causis ad causata, et a notioribus ad minus nota procederet. Primo ergo consideravit ipsam scientiam in quæstione prima præmiali, explicando qualis sit quantum ad suam necessitatem, dignitatem, specificationem, modumque procedendi. Secundo, considerat objectum talis scientiæ, et circa varias ejus materias ordine suo discurrit ; circa illas enim ordinatio requiritur, quia variæ, et diversæ sunt : circa ipsam vero rationem formalem objecti, ordo non requiritur, quia tantum est una, et ideo formalis ratio in aliqua scientia potius est ordinativa materialis objecti, quam ordinata. Fuit autem necessarium tractare prius de ipsa scientia, deinde de objecto, quia in tractanda aliqua scientia prius auditoribus innotescere debet utilitas, dignitasque talis scientiæ, quam

quod disputationes de singulis ejus materiis pertractentur.

CIRCA OBJECTUM SEU MATERIALIS THEOLOGIE DIVISIO.

Explicata ergo præmiali quæstione circa ipsam scientiam theologiæ, exinde ducit in altum D. Thomas, id est, in profundum disputationis, hoc enim est in altum ducere, ut explicat Ambrosius libro IV, in Lucam, cap. v, circa illa verba Christi ad Petrum: *Duc in altum, et laxate retia vestra*. Est autem alta profunditas objectum theologiæ, habet enim pro objecto Deum secundum ipsam rationem deitatis in omni sua amplitudine, id est, non secundum unum, vel alterum attributum, v. g. secundum rationem sapientiæ, vel justitiæ, etc. sed secundum ipsam essentiam, et rationem deitatis, omniaque ejus attributa, quam: « Pelagus quoddam essendi immensum, et infinitum » vocat Nazianzenus oratione secunda in sanctum pascha. In hoc ergo objecto ita alto, et infinito, ordinem procedendi partitur Divus Thomas considerando ipsum dupliciter, scilicet in essendo, et in causando, si quidem ex esse sequitur operari, ut autem inquit Divus Thomas, opus. LXX, in principio: « Licet scientia de creaturis, seu de effectibus Dei, apud naturales sit prior, quam scientia de Deo, tamen apud theologos Creatoris consideratio prævenit considerationem creaturæ. » Licet autem de ipso esse Dei principalis sit theologiæ tractatus, tamen quia in hac vita cognoscimus Deum per speculum creaturarum, et ænigma effectuum de ipso Deo in causando, et de rebus ab eo causatis prolixior apud theologum disputatio est.

Ut autem de Deo in causando, seu in quantum causa creaturarum est,

disputatio ordinari possit, excludi debent a Deo ex quatuor causarum generibus duæ, scilicet materialis, et formalis informans, seu constituens aliquam naturam: materialis quidem, quia fundatur in potentialitate, quæ repugnat actui puro, qui est Deus; formalis autem informans quia importat dependentiam, seu inferioritatem, sive ad totum, quod constituit, quia totum est majus parte, sive ad subjectum, cui inhæret, Deus autem cum sit ens perfectissimum, et actus purus respectu nullius est inferior, neque ab aliquo est dependens. Ex aliis vero duabus causis, scilicet efficienti, et finali, quæ Deo conveniunt, considerat Divus Thomas tres generales modos causandi, per quos totum theologiæ ordinem partitur. Primo enim Deus efficit in genere causæ effectivæ, vel producendo res, vel conservando, et gubernando illas. Secundo, Deus finalizat non solum tamquam finis universalis omnium creaturarum, de quo benissime tractat Divus Thomas ubi agit de processu effectivo creaturarum, scilicet in prima parte, quæstione XLIV, sed multo principalius tamquam finis particularis creaturarum rationalium, a quibus assequibilis est, et fruibilis per actus intellectus, et voluntatis, et hoc modo res non tam procedunt a Deo, quam regrediuntur ad ipsum, a quo processerunt. Sed quia rationalis creatura deficiendo a propria dignitate per peccatum, fit similis creaturis irrationalibus in non perveniendo ad Deum, sed sistendo in fruitione boni creati cum aversione a Deo, si quidem: *Homo cum in honore esset, non intellexit comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*, Psal. XLVIII. Ideo tertio modo causat, et operatur Deus, ut reparator peccatorum qui sunt defectus ab ultimo fine, quos solus Deus reparare potest, quia si-

cut decidere a primo efficienti, quod est annihilari, solus Deus reparare potest, qui portat omnia verbo virtutis suæ, sic deficere ab ultimo fine, quod est peccare, solus Deus reparare potest, qui purgationem peccatorum facit: hæc enim duo opportune conjunxit Apostolus in Filio Dei ad Hebr. dum inquit: *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus portans omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, etc.* In eo enim, quod portat omnia, causalitas efficientis, in eo vero quod purgationem peccatorum facit, reparatoris officium designatur.

Igitur Divus Thomas juxta hanc triplicem considerationem Dei causantis, scilicet ut principium effectivum, ut beatitudo finalizans, ut Salvator reparans, divisit totam doctrinam summæ theologiæ, ut patet in initio secundæ quæstionis hujus primæ partis. Et sic a Deo in se, et in essendo, per Deum efficientem, et finalizantem, et salvantem, regreditur ad Deum, ut fruendum in se ultima gloria resurrectionis, quod est plane aureum theologiæ circulum complere, quem divina S. Thomæ summa circumgyrat.

QUID UNICUIQUE PARTI CORRESPONDEAT.

Prima pars.

Ex his divisionibus fecit Divus Thomas tres principales partes totius summæ theologiæ. In prima consideravit Deum secundum se, et deinde ut causam efficientem creaturarum. Et tractatus de Deo secundum se continet duas partes. Prima est de Deo quoad entitatem, et attributa absoluta, sive in operando a quæstione secunda, usque ad XXVII. Secunda agit de Deo quoad relativa, seu mysterium Trinitatis a quæstione XXVII, usque ad XLIV.

Tractatus vero de Deo, ut causa efficiens est, continet tres partes. Prima est de ipsa productione, et causalitate Dei, tam quoad modum efficiendi per creationem, quam quoad rationem causæ exemplaris, et finalis pro omni creatura generaliter, a quæstione XLIV, usque ad XLVII. Secunda est de effectibus ipsis procedentibus a Deo, quorum distinctio, et varietas in hoc toto universo generaliter sumitur ex duplici capite. Primo, penes bonum, et malum, hoc est, perfectum, et imperfectum, seu defectuosum. Secundo, penes spirituale, et corporale, et ex his mixtum. Et purum spirituale sunt Angeli, purum corporale sunt corpora hujus universi facta in opere sex dierum. Mixtum autem ex corporali, et spirituali homo. Et de omnibus istis tam quoad naturam eorum, et essentiam, quam quoad proprietates, et operationes, et productionem in esse, agit a quæstione XLVII, usque ad CIII. Tertia est de gubernatione, qua Deus conservat creaturas, et agit in illas, sive de se immediate movendo, sive mediantibus quibusdam agendo in alias. Creaturæ autem quibus Deus gubernat hoc universum, primo sunt Angeli, per quos illuminat alios, et docet, et corporalia regit. Secundo, sunt corpora cælestia, quorum motu ista inferiora generantur, et corrumpuntur. Tertio, sunt homines, qui tam per animam, quam per corpus possunt in alios agere. Et de ista gubernatione Dei, tam per se immediate, quam mediantibus aliis creaturis tractat a quæstione CIII, usque ad quæstionem CXIX, qua terminatur prima pars summæ theologiæ.

SECUNDA PARS SUMMÆ.

Prima secundæ.

In secunda parte, quæ ob longitudinem divisa est in duas, quarum

una appellata est Prima secundæ, id est, prima pars secundæ partis, et alia vocata est Secunda secundæ, id est, secunda pars secundæ partis: in hac ergo secunda parte consideravit Div. Thomas, Deum ut finem assequibilem a creatura rationali per actus suos, quibus, vel tendit ad istum finem, si actus sint boni, vel deviat, et obliquatur ab ipso si sint peccata, et ideo consideratio de Deo, ut fine assequibili a nobis, bipartita est. Primo enim consideratur finis ultimus in se, qui est Deus, et de hoc agit D. Thomas a quæstione I, usque ad VI. Secundo, agitur de ipsis actibus, quibus ad talem finem tendimus, vel ab eo redimus. Et ista tractatio iterum est bipartita. Nam primo, considerantur actus isti in communi quoad ea, quæ ad eorum moralitatem concurrunt, et requiruntur, et hoc in tota prima secundæ. Deinde, agitur de illis in speciali secundum diversas virtutes, ad quas pertinent, vel vitia, a quibus procedunt, et hoc in secunda secundæ, sicque completur tota materia moralis humanorum actuum.

Igitur actus morales in communi considerantur in prima secundæ quantum ad ipsos actus in se, eorumque moralitatem. Secundo, quoad principia, a quibus formantur, diriguntur, vel procedunt. Est autem moralitas regulatio actuum liberorum penes præcepta, regulasque rationis. Unde formale mortalitatis in istis actibus est, quod sint regulati, materiale vero quod sint liberi, et voluntarii, solum enim actus liberi sunt capaces hujus regulationis per rationes factæ, quæ enim necessario fiunt, regulatione intellectus non indigent. Unde talis libertas, et moralitas in aliquibus actibus invenitur quasi proprie, et per se, in aliis quasi secundario, et participative. Proprie, et per se in-

venitur in actibus procedentibus a potentiis rationalibus, scilicet intellectu, et voluntate, in quibus per se primo reperitur ratio voluntarii, originaliter in intellectu, formaliter in voluntate: participative vero, et secundario invenitur in actibus appetitus sensitivi, qui sunt passionibus. Inter istos autem actus per se voluntarios invenitur varietas, et ordo. Nam quidam sunt absoluti, sicut simplex voluntas, alii collativi, sicut intentio, quæ respicit finem non absolute, sed ut assequendum per media, et electio, quæ respicit media, ut ordinata ad finem, et alii actus, qui ad electionem requiruntur, vel ad eam consequuntur, sicut consensus, consilium, usus, imperium, etc. Et in actibus cum procedatur modo rationali, id est, ex uno illative, et motive ad alium, quidam sunt priores, habentque efficaciam, ut ex illis sequantur alii, et sic in ratione movendi, et imperandi vocantur interiores, alii vero, qui ex illis sequuntur vocantur exteriores, quasi extra illos tamquam moti, et imperati ab illis. Et ideo agit D. Thomas eodem ordine de actibus moralibus a quæstione VI, usque ad XXII, incipiens a voluntario, et involuntario, quod ex parte materiali requiritur ad moralitatem, deinde de actibus voluntatis absolutis, et causis motivis voluntatis. Deinde, de actibus collativis, ut intentione, et electione, imperio, etc. Deinde, de ipsa moralitate formali, et modo quo convenit actibus interioribus, seu imperantibus et exterioribus, seu imperatis, et denique, de proprietatibus, quæ consequuntur moralitatem, sicut est meritum, et demeritum, laus, et vituperium, etc. Quia vero moralitas etiam secundario, et participative invenitur in actibus appetitus sensitivi quatenus movetur a ratione, qui actus generaliter vocantur passionibus, quia

cum transmutatione corporali contingunt, sicut amor, et odium, tristitia, et gaudium, spes, et timor, etc. ideo agit de passionibus, earumque proprietatibus a q. XXII usque ad XLIX.

Secundum, quod considerat D. Thomas, circa actus morales in communi sunt illorum principia. Et dividitur ista consideratio in duo capita. Nam quædam principia sunt elicentia ipsos actus, quædam exterius moventia. Et quidem principia elicentia, vel sunt potentia animæ vel habitus superadditi. Potentia sunt proprietates naturales ipsius animæ, et ideo tractatur de illis in prima parte ubi agitur de natura hominis ad quam consequuntur. Unde solum restat agere de illis principiis elicivis, qui sunt habitus. De quibus agit in communi, deinde secundum divisionem virtutum et donorum, proprietatesque ipsius convenientes. Denique de vitiis, et peccatis, quæ virtutibus opponuntur et de istis agit a quæstione XLIX usque ad CXX.

Principia vero extrinsecus moventia (quæ dicuntur extrinseca non quia non possint imprimere aliquid intra animam, sed quia si quid imprimunt est tamquam effectus Dei extrinsecus moventis) sunt in duplici genere, quædam quæ movent instruendo ex parte objecti per legem, pertinet enim ad legem dare notitiam eorum, quæ agenda, vel vitanda sunt. Quædam vero movent adjuvando infirmitatem nostram, et præbendo vires per gratiam. Et ideo de lege agit a quæstione CXX usque ad CXXIV. De gratia vero, et ejus effectibus a quæstione CXXIV usque ad CXXVI.

SECUNDA SECUNDÆ.

Secunda pars principalis de actibus humanis, quibus tendimus, vel

deviamus a fine, agit de illis in speciali per varias species virtutum, et vitiorum. Ut autem tam immensam varietatem humanorum actuum in speciali in ordinem redigeret D. Thomas consideravit quosdam actus humanos pertinere generaliter ad omnes status hominis sicut sunt vitia, et virtutes, quarum omnes homines sunt capaces: quosdam ad peculiare status, in quibus diversa ministeria, seu officia, aut professiones exercentur. Et de virtutibus et vitiis distinguit septem principales ad quas etiam pertinent dona Spiritus Sancti ei correspondentia et sub quibus continentur alia minus principales, et quibus opponuntur sua specialia vitia. Ex his, tres sunt virtutes theologice, fides, spes, et charitas, de quibus, et de donis illis correspondentibus, et vitiis eis oppositis agitur a quæstione I usque ad XLVII; alia quatuor sunt virtutes cardinales, scilicet prudentia, justitia, fortitudo, et temperantia. Et vocantur cardinales, quia sunt principales, seu primæ non simpliciter, et absolute, sed inter morales, eo quod unaquæque illarum in sua materia principialem modum observat, vel difficiliorem materiam vincit. Et ad istas cardinales, multæ alia reducuntur, quæ sunt quasi partes potentiales earum, id est, virtutes minus principales, quia in alia materia minus difficili, aut principali, modum alicujus dictarum virtutum cardinalium in sua moralitate sequuntur. Et de istis virtutibus cardinalibus, aliisque potentialibus, quæ ad illas reducuntur, et de donis Spiritus Sancti illis correspondentibus, ac de vitiis oppositis tractat a quæstione XLVIII usque ad CLXXI.

De statibus autem, seu ministeriis spiritualibus tractat D. Thomas theologice, non politice, id est, non secundum quod pertinent ad ministeria reipublicæ civilis, sed secundum

dum quod inveniuntur ecclesiastica politia, seu regimine: et sic tractat de statibus, seu ministeriis secundum quod pertinent ad corpus Ecclesiæ, et distinguuntur ab Apostolo, 1. Corinth. XII, per tria genera dum dicit: *Divisiones gratiarum sunt, et divisiones ministrarum, et divisiones operationum.* Et enim divisiones gratiarum significant gratias gratis datas, quæ non omnibus sunt communes sicut donum prophetiæ, linguarum, sermonis, curationis, etc. Et de istis agit a quæstione CLXXI usque ad CLXXXIX. Divisiones vero operationum attenduntur secundum diversas vitas, scilicet activam, et contemplativam, aliud enim est studium operationis in Martha, aliud contemplationis in Maria; et de utriusque perfectione agit usque ad quæstionem CLXI. Denique, divisiones ministrarum pertinent ad diversa officia, vel status, qui in Ecclesia distinguuntur, nam: *Quosdam posuit Deus Apostolos, alios doctores, et pastores, etc.* ut dicitur Ephes. IV. De officiis autem nihil hic tractat D. Thomas, quia officia, seu dignitates in Ecclesia, vel sunt ordinis, vel jurisdictionis. Si ordinis, agetur de illis in tractatu de Sacramento ordinis. Si jurisdictionis, pertinet de illis agere ad jurisperitos, agitur enim in jure de officio legati, archidiaconi, decani, etc. Quare in præsentis solum considerat diversos status, qui ordinantur ad perfectionem in Ecclesia (nam de statu conjugatorum, qui est imperfectior, agitur in tractatu de Sacramento matrimonii) status autem perfectionis solum ex duplex, alter episcoporum qui ex officio habent statum perficiendi alios active, et ideo supponitur in se perfecti; alter religiosorum qui ex statu suo tendunt ad acquirendam sibi perfectionem per professionem suorum votorum. Et de

istis statibus a quæstione CLXXXI usque ad CLXXXIX, quæ est ultima secundæ secundæ.

TERTIA PARS.

In tertia parte considerat D. Thomas, Deum, ut reparatorem nostrorum defectuum, quibus ab ipso assequendo per peccatum deficimus et per quem tamquam per viam ad finem ultimum nostræ salutis pervenimus, quod est considerare Deum non ut creatorem, sed ut salvatorem, et hoc est Verbum incarnatum. Cujus considerationem D. Thomas in quatuor principales tractatus distribuit. Primus est de ipsa incarnatione, in qua consideratur tum ipsa incarnatio in se, tum ex parte Personæ assumptis, tum ex parte naturæ assumptæ, tum ex parte perfectionum, sive quas assumpsit in eadem natura, ut gratia, scientia, potentia, meritum, etc. vel etiam imperfectionum, aut infirmitatum, quas ad tempus in natura assumpta reliquit, ut opus redemptionis perficeretur: sive perfectionum, quæ a nobis illi debentur, ut est adoratio, et durat iste tractatus a quæstione I usque ad XXVI.

Secundus tractatus est de modo, qui vixit, et conversatum est inter nos Verbum incarnatum, tam quoad ingressum ejus in hunc mundum, ex Matre Virgine nascendo, quam quoad progressum in hoc mundo conversatum inter homines, eosque suis actionibus, et sermonibus instruens, et pertransiens benefaciendo, et quoad egressum ex hac vita per passionem et mortem operatum salutem in medio terræ; et denique quoad regressum ejus ad Patrem quo coronatum est gloria, et honore, sedens ad dexteram ejus in excelsis. Et de hoc agit a quæstione XXVII usque ad LX.

Tertius tractatus est de mediis, seu instrumentis, quibus hanc salutem et justificationem Christus Dominus ad nos derivat, et applicat. Et hæc sunt Sacramenta, quibus ejus fidem protestamur, et illi unimur tamquam per symbola, seu signa practica, ex parte nostra protestativa fidei, et ex parte Dei affectiva gratiæ in virtute sanguinis Christi. Et de septem Sacramentis tam in communiquam in particulari agit in isto tractatu a quæstione LX usque ad XCX, in qua dum pœnitentiæ partes D. Thomas explicat, cruda, et immatura mors cœlestem fluentis eloquii venam exsiccavit, et totius theologiæ disciplinæ fila abru-

pit. Et inde vero suppletum est, quod deerat de Sacramentis ex ipsius lectura super quatuor sententias a quæstione I additionum usque ad LXIX.

Quartus denique tractatus est de termino, ad quem pervenimus per Verbum incarnatum, scilicet de æterna, et perfecta beatitudine in resurrectione corporum, et gloria animæ a quæstione LXIX usque ad C.

Istæ sunt principaliores partes totius theologiæ, et generales ejus divisiones. Nunc oportet sigillatim per omnes materias discurrere, et earum connexionem, ordinemque ostendere.

ORDINATIO PRIMÆ PARTIS

PER SUAS QUÆSTIONES, ET MATERIAS.

Expedita prima quæstione, in qua ut supra diximus agitur de ipsa scientia theologiæ tamquam in quæstione præmiali; incipit a quæstione II D. Thomas agere de objecto talis scientiæ, quod est Deus in se. In quo primo considerat id quod pertinet ad quæstionem an est, deinde ad quæstionem quid est. De quæstione an est tractat D. Thomas unica quæstione, quæ est secunda primæ partis, tum ostendendo quomodo Deum esse sit demonstrabile, tum proponendo demonstrationes id ostendentes.

Post tractatum de Deo quoad an est sequitur investigatio de quidditate Dei. Et primo, agit D. Thomas de his, quæ pertinent in Deo ad absolutam usque ad quæstionem XXVII, deinde de his, quæ pertinent ad relativam.

In tractatione autem absolutorum, sollicite oportet advertere, quanta mentis celsitudine ordinavit S. Tho-

mas distributionem divinorum attributorum. Nam omnia attributa in triplici ordine collocat. Primo, ea quæ pertinent ad ordinem quasi entitativum Dei. Secundo, quæ ad cognoscibilitatem passivam, quia unumquodque est cognoscibile in quantum ens, et ratione suæ entitatis. Tertio, quæ pertinent ad ordinem operativum, sive ad intra, sive ad extra, operatio enim est maxime propria naturæ ut natura est.

Ad ista autem consideranda a suis fundamentis, attendenda est radix omnium, scilicet ipsa ratio actus puri, qua Deus habet simpliciter esse primum ens: ens enim potentiale est posterius actu in perfectione, quia potentia perficitur per actum, unde ens potentiale non potest esse primum ens simpliciter, et consequenter, neque Deus, quia nomine Dei intelligimus ens primum, et perfectissimum simpliciter. Quod si aliquid haberet de potentia, et non